ALPHUNSI DE AVENTIS

FERRARIENSIS

SACRI CONSISTORII ADVOCATI

DISSERTATIO

DE PROPORTIONE MONETARUM



ROMAE

APUD ANTONIUM FULGONIUM

SUPERIORUM ADPROBATIONE

CIↃIↃCCLXXXV.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONT. OPT. MAX.

ALPHUNSUS DE AVENTIS.




N præclarum Sacri Consistorii Advocatorum Collegium Tua solum munificentia, PIE PONTIFEX MAXIME, *cooptatus, atque de Nummorum æstimatione disceptaturus*

ex leg. pro imminutione 2. Cod. de veteris Numismatis poteſtate, *Diſſertationem hanc meam cuinam magis inſcribere, potuiſſem quam* Tibi, *cui cum Suprema Imperii poteſtate eſt etiam Nummorum Auctoritas?* Tibi, *qui publici commodi cauſa inter alias curas, quæ graviſſimæ ſunt, animum in præſens detines collationi Monetarum?* Tibi, *qui toto animo, ſtudioque ſemper in eam rationem incumbis, ut, eos, qui* Tuo *Imperio, & poteſtati commiſſi ſunt, quam beatiſſimos efficias?* Tua *hinc Edicta non Subditos afflictant, (ut de Regum juſſis propriam tantum utilitatem ſemper reſpicientibus dixit quidam nimis audax Philoſophus) ſed ſolatium eis potius præbent, & levamentum. Nunquam enim* Tuæ, *ſed publicæ ſemper inſerviunt utilitati, ad quam diu, noctuque omnes cogitationes convertis* Tuas. *His tamen & gravioribus detentus, in me etiam, qui ſum omnium minimus, magna, qua polles, humanitate reſpicere non es dedignatus. Noſcant ex eo omnes,* Te *& clementiſſimum omnium eſſe* Patrem, *& cuique jus eſſe ad amorem* Tuum, *ad liberalitatem, ad munificentiam* Tuam. *Magnum quidem beneficium in Civitatem Ferrarienſem contulit immortalis ob conſpicua in Chriſtianam Rempublicam monumenta*

Urba-

Urbanus VIII., quum Anno 1625. *indulsit, ut in prælaudatum Collegium alter ex illius Civibus perpetuo adlegeretur. At quod* Tu, Beatissime Pater, *duabus continuis vicibus nuper contulisti, cum Patriæ meæ, quæ me nominare potuit, fuit maximum, tum mihi, quem in illud cooptasti, fuit quidem singulare. Quamobrem si,* Te Auctore, *Dissertationem hanc ex instituto Majorum edere debeo, sinas, ut eam veluti gratissimæ voluntatis, & venerationis meæ indicem ac Testem* Augusto Nomini *Tuo inscribam, ex illo ut præsidium quærat, & ornamentum. Sed non dedigneris etiam reliquum mihi facere, ut in posterum re, & opere valeam demonstrare quod in præsentiarum ore, & corde tantummodo obsequium hoc meum profiteri mihi datum est.*



Pote-



Moneta aurea cusa Fulginei, quum Pius II.P.M. bellum sacrum adversus Turcas parans Anconam proficisceretur. An. MCCCCLXIIII

DE PROPORTIONE MONETARUM
DISSERTATIO



Erum, quas omnibus hominibus natura fecerat communes, ex Jure Gentium introducto dominio, ita primum quisque necessaria, & utiliora, quae ei deerant, sibi acquirere debuit, ut permutatione peteret illa ab altero, qui vel eis abundaret, vel indigeret aliis. Deinde sive quod non omnis fert omnia tellus, sive quod invalescere coepit appetitio rerum exterarum, ita ut non semper, nec facile quisque invicem haberet, acciperet, quod volebat, emptio, & venditio orta est. Tandem ut difficultatibus cum permutationum, tum emptionis venditionis occurreretur aequalitate quantitatis, noverunt Populi necessitatem tribuendi, veluti per conventionem, certae rei pretium eminens, cujus opera proprium aliarum rerum omnium pretium, & valor intrinsecus metiretur.

Hinc itaque monetarum origo. Earum tamen non una olim apud Nationes omnes fuit natura. Sacculis usi sunt Carthaginenses Sabuli plenis, ex cujus granorum numero desumebant quarumdam monetarum, (quae imaginariae dici possunt) quantitatem (*a*).

Aethio-

(*a*) Eschin. Dial. 1.

Aethiopes partim lapidibus signo impressis (*a*) partim salis frustulis (*b*). Americani versus Aquilonem parvis Conchiliis (*c*). Granulis albis, & nigris Habitatores Floridae (*d*). Athenienses Bubalis; Ovibus Romani (*e*). At aucto commercio, & necessitas innotuit repraesentandi hoc pretium eminens per materiam non nimis raram, nec vulgo obviam, sed quae usum, & pretium haberet, quaeque facile in plures partes esset divisibilis, non justo fragilior, quae custodiri denique, & transferri commode posset; Quae cum nisi in metallis pretiosioribus cadat, videlicet auro, argento, aere; ideo metalla hujusmodi usui adhiberi commodissime visum est, ac hisce nummos variae quantitatis, & ponderis cudi publica auctoritate, ut usum, & dominium non tam ex substantia praeberent, quam ex quantitate, ut Paulus (*f*) ait = *Origo emendi, vendendique à permutationibus caepit. Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur, sed unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superesset, alteri desit. Sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem ego haberem, quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica, ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret, eaque materia forma publica percussa usum, dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque est, sed alterum pretium vocatur.* = Uti etiam tradunt Aristoteles (*g*), & Heinecius (*h*).

Quamvis initio variae metallorum massae tradebantur, recipiebantur ad rationem sui ponderis (*i*), unde varia monetarum nomina, veluti apud Hebraeos *Siclus*, apud Graecos *Talentum*, & *Mina*, apud Romanos *As*; utilius tamen deinde visum est, certas habere Monetarum species, & varias ex praedictis metallis quantum ad pondus, & aestimationem. Antiquissima fuit apud alias Gentes origo Numismatum, antiquissimus usus (*k*); apud Ro-

(*a*) Eschin. Dial. 2.
(*b*) Franc. Alvares. cap. 46.
(*c*) Marc. Pol. Venet. Itin. lib. 11. cap. 38.
(*d*) Erodot. de Aethiop. lib. 3. cap. 23.
(*e*) §. 10. Instit. de empt., & vendit. Casaub. ad Cicer. Att. 1. 1.
(*f*) Leg. 1. ff. de contrahen. empt.
(*g*) Lib. 1. Polit. cap. 6.
(*h*) De jur. Nat., & Gent. lib. 1. cap. 13. §. 1.
(*i*) Plin. Hist. Nat. lib. 33. cap. 3.
(*k*) Arist. in Polit. Strabon. lib. 6. Plutarch. in Lysandro, Virgil. Polidor. de invent. rer. lib. 2. cap. 20., Georg. Agricol. de pret. metal., & monet. lib. 1. Lud. Caelio Lect. antiq. lib. 6. cap. 2.

Romanos vero invaluit solum tempore Servii Tulli Regis eorum Sexti, qui aereos nummos primus percussit (*a*). Deinde argentea pecunia signata est quinque annos ante primum Bellum Punicum, Q. Fabio Cons., hoc est ab Urbe condita anno 484. juxta Chronologiam Henrici Glareani, & Haluandri, non vero anno 585., ut per errorem scribit Plinius, cum constet primum Bellum Punicum initium habuisse anno ab Urbe condita 489. (*b*). argenteo successit demum aureus nummus post annos sexaginta duos ex eodem Plinio, nempe anno ab Urbe condita 546., & ante Christi Natale anno 212. (*c*).

Mittimus nomina eorumdem nummorum, quae multa fuerunt; praecipua vero *As* in aere; *Denarius* in argento; in auro *Solidus*. Mittimus etiam eorum valorem, qui *Assis* fuit quatuor ex nostris quadrantibus vulgo *quattrini* (*d*). Denarii decem assibus, sive quadraginta quadrantibus (*e*). Solidi olim vigintiquinque denariis argenteis, deinde tempore Iustiniani, & aliorum Caesarum à Constantino denariis argenteis fere decem, & septem (*f*). Mittimus denique Monetarum valorem relate ad commercium Plures ea de re mirifice pertractarunt tam antiqui, quam moderni Scriptores. Quantum namque ad nos attinet, quaerimus dumtaxat de monetarum aestimatione, deque proportione cum *legali* inter aurum, argentum, & aes in iis servanda ex Suprema Principis cujusque Loci auctoritate, tum *plateali*, quae oritur partim ex necessitate commercii, partim ex majore, vel metallorum viliori valore, & aestimatione.

Laude, & plausu digni quidem sunt Auctores, eorumque scripta, quae respiciunt commercii, ac status activi cum passivo cujusque Civitatis aequalitatem; methodum augendi Agriculturam; regulas denique ampliandi artes caeteras. Optima inde eorum Sententia instituendis in Scholis Cathedram, in Foro Consilium, quod praesit commercio. Utilis propositio servandi in unaquaque Ditione accuratum in utroque vectigali introductionis, & extractionis aequilibrium. Necessaria Datii particularis impositio super terrenis, & capitalibus, & quidem gra-

vior

(*a*) Plin.Hist.nat.lib.33.cap.3.
(*b*) Polyb. lib.1., Solin. lib.1. cap.2. Aul.Gell.lib.17.cap.21.
(*c*) Plin.Ep.lib.15., Budæus de Asse, Leonard.Port.de Sestert.pecun.ponder.,& mensur. antiq., Sebast.Erizo disc.sopra le Medaglie degli antichi Romani.
(*d*) Covar.de veter.numism.collat.cap.1. num.3.
(*e*) Plin. lib.33. cap.9. Tit.Liv.lib.44.
(*f*) Leg.1.Cod.de argent.pret.lib.10., Covarr.loc.citat cap.3.num.5.

vior quoad alienigenas, quae respondeat Principatus debito interno, & externo, ut hoc ex illa paulatim dimittatur. Consultissimum consilium protrahendi commercium, ad comparandum aurum, ad Indias Orientales, signanter ad Sinam, & Iaponiam; (ubi auri, cujus magna copia, libram unam permutant Habitatores cum libris decem argenti); pro comparando argento ad Americam; Aes vero ad Sveciam.

Haec profectò, si exequerentur, plurimum Principatui afferrent utilitatis, non tamen statim, quum effectus cursum desiderent plurium annorum. At urgenti malo non promptum praeberetur remedium, si de inaequalitate res esset metallorum, quibus cuduntur Monetae ob diversam aestimationem inter earum intrinsecum, & extrinsecum valorem. Etenim cum Monetarum cursus, quem vocant *platealem*, excedit cursum *legalem*, opus est remediis ejusmodi, quae subitam afferant aequalitatem inter valorem monetarum, & proportionem auri, ac argenti, quae invaluit inter unum Dominium, & Plateas alterius.

His praelibatis, facile patet, quid Imperator [illegible]tinianus [illegible] voluerit *in Lege pro imminutione* 2. *Cod. de veter. numism. potest.*, quam explicandam suscipimus, sub nomine *imminutionis*, *& aestimationis solidi*. Non aliud quidem, nisi quod curarunt Romani Imperatores caeteri, ne Respublica sufficienti unquam careret pecuniarum copia. Non id assequi potest, nisi extrinseca, & impostitia aestimatio Monetae intrinseco, & forensi Metallorum pretio respondeat; nisi aequalis sit proportio inter aureos Nummos, & Argenteos; istos & Aeneos; nisi denique flagitia plectantur eorum, qui vel Nummos conflant, & in Massam redigunt, vel in exteras Regiones tanquam Merces Negotiationis causa transferunt.

Sit initium *ab aestimatione* Metallorum. Pretium non idem quibuscumque temporibus, sed modò vilius, modo pretiosius fuit secundum rerum vicissitudines, ac amplificationem Commercii, & Luxus. In id tamen Principes, apud quos est auctoritas Monetarum, semper intenderunt, ut ea jugiter Monetis tribueretur aestimatio, & valor, qui Auri, Argenti, AEris intrinseco pretio responderet. Et jure quidem. Secus subverterentur Negotiationes, & Commercium, si Monetae cuderentur in materia adeo deturpata ex mixtura vilioris Metalli, ut non responderet intrinseco valori illius Metalli, ex quo cusae sint similes Monetae alterius

rius

rius Ditionis, cum qua exercemus Mercaturam. Nostras enim vel recusarent Nationes exterae, vel reciperent viliori pretio. Recipiunt enim non juxta valorem numerarium, sed secundum intrinsecum earum valorem, hoc est Metalli, ex quo cusae sunt. Nos vel non negotiari cum illis possemus, vel monetam, quam cariori acquisivimus, vendere cogeremur viliori pretio.

Eam ob rem nec adeo monetas cudi fas est, ut ex viliori metallo confectis valor tribuatur ultra valorem materiae. Non hic quaerimus, an tuta conscientia possint Principes pro sua libidine pretium constituere monetis supra intrinsecam Metalli aestimationem. Notissima quidem est hac in re Juris Canonici dispositio (*a*), ex qua patet, Principes teneri cudere monetam, & ex lege publicam facere, ut valor juxta pondus materiae constituatur. Illud quaerimus; an intersit Reipublicae monetas cudere adeo vilioris materiae, quae non respondeant intrinseco illius valori. Et recte dicimus, quascumque monetas sive aureas, sive praesertim argenteas, quae tantam admixtam habeant aeris quantitatem, ut excedant mixtae materiae intrinsecum valorem, esse omnino abrogandas.

Nam quidquid sit de apparenti utilitate ex illarum constructione, Principatus tamen damnum est inevitabile. Ubi namque est lucrum, facile concurrit Hominum aviditas, & malitia, ut & ipsi lucrum faciant. Hinc earumdem monetarum adulteratio non a Subditis tantum, verum ab exteris etiam, praesertim finititimis. Introductis autem in Principatum, cujus secumferunt auctoritatem, monetis ejusmodi, debitum constituunt Principis, cujus fidem sequuntur Receptores. Id ne eveniat, interest Principi suo in Principatu hujus generis monetae ne cudantur, quae vero cusae sunt, ut abrogentur. Una aequalitas aestimationis relate ad intrinsecum valorem materiae ea est, quae impedit monetarum adulterationem, ac repellit Principatus damnum.

Placuit Licurgo ad pellendum a Sparta Luxum, avaritiam, aliaque vitia, prohibere cursum monetarum auri, & argenti, cusa ad opportunitatem moneta ferrea librarum fere quingentarum (*b*). At non idcirco ejus sequi debemus exemplum, uti non illud sequutus est Lysander, qui monetas in pristinum restituit auri, & argenti (*c*). Princeps respicere debet ad Subditorum utilita-

(*a*) Cap. quanto de jurejuran.
(*b*) Plutarc. in vit. Licurg.
(*c*) Idem Plutarc. in vit. Lysand. in princ.

litatem, & commodum, quod in hoc non haberi, nisi ex juxta metallorum aestimatione potest. Idcirco Imperatores Romani novas monetas cudebant antiquis similes pondere, & valore, ex quo admirationem in se concitarunt aliorum (*a*); idcirco Paulus in *Leg.* 1. *ff. de contrahen. empt.* monetae pretium ita describit = Electa materia est, cujus publica, & perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret =.

Moneta repraesentatur etiam per chartas; non per illas tamen damnum commercio infertur, sed illud potius fit amplius, & facilius. Chartae enim hujusmodi (quarum Auctor primus fuit Fridericus II., cum in Castris esset anno 1243. in Romandiola, eique defecisset pecunia) ex publica auctoritate, & fide eamdem habent aestimationem, ac moneta ex metallo percussa. Hujusmodi sunt Romae *Cedole*, Parisiis *Biglietti di azione*, Neapoli *le Fedi di Credito*, in Anglia *Biglietti dello Scacchiero*, & his similia. Quamvis quidem praedictae chartae monetam repraesentantes per se, & immediate non augeant Principatus, & Populi divitias, ex earum tamen effectibus augetur commercium, & industria, unde ipsae proficiscuntur divitiae.

Id optime explicat Almicius (*b*) inquiens =. *Egli è ben vero, come nota il tante volte citato Montesquieu nel suo Spirito delle Leggi lib.* 22. *cap.* 2. *dietro al famoso Melon nel suo bel trattato della Polizia del commercio, che siccome il denaro è segno del valore della mercanzia, così le Cedole, o sia Carte firmate, sono segni del valore del denaro, e qualora queste Cedole sono in forma, lo rappresentano in maniera, che quanto all'effetto non vi ha differenza di sorte. Nell'istessa guisa che il denaro è segno di una cosa, e la rappresenta, ciascuna cosa è un segno del denaro, e lo rappresenta. E lo stato è nella prosperità, secondo che da una parte il denaro rappresenta bene ogni cosa, e che dall' altra ogni cosa rappresenta bene il denaro, e che gli uni degli altri sono segni, cioè a dire, che nel valor relativo si possa avere l'uno subito che si ha l' altro* =.

Ut autem de veris monetis dicamus, is erit earum aestimationis effectus, ut, adaucto in Hominum astimatione auri, & argenti pretio, extrinsecus etiam nummorum valor augeatur, id quod plurimum interest Reipublicae. Multa secus in illam incommo-

(*a*) Solin. cap.53., Ruan.Istor. lib.6. all' anno 1551., Grot. histor. Belg. lib. 4. ad ann.1595.

(*b*) Nota 3. al dritto della natura, e delle Genti di Buffendorf cap.1. lib.5. tom.3.

moda; grande Principatus damnum; extrema pecuniarum caritas. Nil erit profecto quod omnino resistere posset Hominum avaritiae, & fraudibus, atque impedire, quominus fiat monetarum extractio ad alias Regiones, earumque conflatio, & in massam redactio. Plurimum valent Leges, multum comminatio Suppliciorum, & Magistratuum sollicitudo. At omnia Homines lucro addicti despiciunt illius aviditate. Nulla Natio est, quae gravissimis sub poenis non prohibeat monetarum extractionem, fusuram, ac redactionem in massam. Nihilominus prohibitio, & exequutio etiam poenarum non satis sunt ad impediendam monetarum perturbationem, praesertim ubi illarum valor extrinsecus excedit valorem intrinsecum.

Utilius hinc semper visum est augere monetarum valorem extrinsecum, quoties pretium auctum est materiae, quae constituit intrinsecum illarum valorem. Ita sane fieri oportere novimus primum a Constantino Imperatore, qui aureum nummum, cujus pondus sub Consulibus, & Caesaribus usque ad tempora Severi fuit quarta pars unciae, imminuit ad sextam partem (*a*). Et numero aureorum adaucto, ac singulorum pondere imminuto libram statuit solidorum 84., praescripsitque formam illationis auri in Fiscum his verbis = „ Si quis solidos appendere voluerit auri „ cocti, septem solidos quaternorum scrupulorum nostris vulti- „ bus figuratos appendat pro singulis unciis, quatuordecim vero pro duabus (*b*).

Id novimus itidem a Valentiniano Sen.: Aucto enim in dies post Constantinum auri pretio, sive ut Symmachus(*c*) ait = „ Paulatim auri enormitate crescente = jam solidorum intrinsecus valor extrinsecam publica auctoritate impositam aestimationem excesserat. Jam inde ob redundantiam intrinseci valoris ex Negotiatorum, & Aurificum malitia incaeperat penuria monetarum. Plura se offerebant, irrepto malo ut mederetur, scilicet vel ut augeretur extrinsecus solidorum valor; vel ut, retento eodem cujusque solidi valore extrinseco, imminueretur pondus; vel ut augeretur in singulas libras imminutorum aureorum numerus; vel ut demum imminueretur libra, ut paucioribus in posterum solidis ejusdem ponderis, quam antea, auri libra conficeretur.

Ex

(*a*) Plin.lib.33.cap.3., Budæus lib.3.de Asse, Agric.lib.2.de pond.& temperat. monet.

(*b*) Leg.2.Cod.Theodos.de ponderat.

(*c*) Epist.49.lib.10. edit.Lugd.Bat.1653.

Ex his ultimum placuit Valentiniano, voluitque, ut in Tributorum collatione pro qualibet debita auri libra non amplius susceptores exigerent solidos 84., sed dumtaxat 72.. Itaque Lupicino, & Sonino Consſ. (*a*) constituit, ut = „ quotiescumque „ certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, & auri „ Massa transmittitur, in septuagintaduos solidos libra feratur „ accepto =. Num non ex hoc manifestum, imminutum dumtaxat fuisse aureorum in libram numerum, eodem retento eorumdem pondere? Ita quidem. Libra enim effecta 72. Solidorum ejusdem ponderis, cujus erant solidi Constantiniani, ejusdem in posterum fuit aestimationis, ac antea, cum constabat solidis 84. Imminutio namque coercita fuit ad libram numeralem, ut tantumdem 72. Solidi praestarent, quantum antea solidi praestabant octogintaquatuor. Errant propterea, qui vel libram auri authumant, semper fuisse ejusdem ponderis, vel imminutam fuisse extremo tempore Imperii Constantinopolitani.

Solidorum hujusmodi in singulas libras imminutum numerum retinuit deinceps Imperator Honorius (*b*). Quippe hic voluit, ut etiam in strenis, & munusculis, quae singulis annnis offerebantur post Kalendas Ianuarias, postque publica vota pro ejus suscepta salute non aureos 84., prout olim, sed Obryziacos, hoc est auri purioris solidos tantum 72. in libra sibi quisque offerret. Hinc Olybrio, & Probino Consſ. Mediolani Constitutione ad Basilium Praefectum Urbis directa (*c*) inquit = „ Quando votis com„ munibus felix annus aperitur, in una auri libra solidi septuagin„ taduo obryziaci Principibus offerendi devotionem animo de„ benti suscipimus; Statuentes deinceps sequentibus annis unius„ cujusque sedulitas Principibus suis talia ingerant semper, & „ deferant =, Quo factum est, ut auri libra imminuta, sponte sua singulorum etiam solidorum aestimatio adaugeretur, & aequaretur materiae pretio tunc temporis adaucto. Illud itidem praestitit imminutio librae, quod praestitisset nova, atque expressa extrinsecae aestimationis adauctis iisdem aureis Nummis. Caeterum sive extrinsecus augeatur, sive minuatur nummorum valor, semper intrinseco materiae pretio respondere propemodum debet, nec illud excedere. Primum ut aequitas servetur, atque commercio-

(*a*) Leg. 3. Cod. Theodos. de suscept. praepolit. & Arcar.

(*b*) Symmach. Epist. lib.26. Epist.28.

(*c*) In Cod.Theodos. cap.1. de oblat.vot.

ciorum bene servata ratio non evertatur, alterum ne malitia Negotiatorum inducatur monetarum caritas non absque Principis jactura, & Populi incommodo.

Id tamen non ita rigide intelligendum est, ut nequeat Princeps aliquid monetis imponere ultra pretium ipsius materiae. Potest quidem in extrinsecum valorem conferre sumptus necessarios in cudendis nummis, quod nulla Lege, nullave obligatione tenetur suis impensis illos cudere. Quum materia electa fuit, nonnisi Populorum commodo consultum est, ut publica, & perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret. Rursus cum ex materiae magnitudine, & pondere, quod principio praefinitum est, nummus deinde charactere fuit percussus ejusdem ponderis, cujus & ipsa materia, Lex itidem commoditati prospexit Privatorum, ut absque alia Hominum sollicitudine constet ex publico charactere, quanta sit ejus materiae aestimatio. Nunquam vero constitum est, ut Respublica vel Princeps hisce Populi commodis consuleret suis sumptibus. Proinde impensae, quae necessariae sunt in cudendis monetis, quae unum respiciunt commodum Populi, augere debent earum extrinsecum valorem; id quod etiam est intra ssphaeram justitiae commutativae, ne Princeps remaneat in damno (a).

Sunt qui contrariam tenent Sententiam, Bartolus (b) Curtus jun.(c) Petrus Velluga (d) sunt qui in Principes afferunt auctoritatem *Text. in Cap. quanto de jurejurando*, contendentes, numismata expensis publicis esse cudenda, nec pluris esse aestimanda, quam ipsa materia absque charactere publico aestimatur. At pace tantorum Virorum non ea est vis praedicti Textus, ut eorum Sententiam confirmet; nam in casu ibi expresso loquitur Innocentius III. de numismatis detrimento, quod eo pacto contigerat, ut praeter valorem materiae, & modum legitimum expensarum aliud pretium constitutum fuerat, quod penitus illicitum paulo ante demonstravimus, ut innuunt Pontificis ea verba = „ quidam „ Consiliarii tui, immo potius Deceptores, tuum animum indu- „ xe-

(a) D. Antoninus in summa p.2. c.18., Jacobus Bornitius de nummis lib. 1. cap. 11. Budæus de asse lib. 1., Jo. Aquila de monet. potest. par. 1. cap. 4.

(b) In Leg. Paulus ff. de solut., in Leg. Qui falsum ff. de fals., & in Leg. 1. §. ult. de aur., & argent. legat.

(c) In Leg. 2 §. Mutui num. 12. ff. si cert. petat.

(d) In speculo Principum tit. de mutat. monet. num. 7.

„ xerunt, ut jurares, irrequisito assensu Populi, usque ad cer-
„ tum tempus Patris tui conservare monetam, quae tamen circa mortem ejus fuit legitimo pondere defraudata =.

Remota propterea dispositione hujus Textus, nil est, quamobrem non possit Princeps in cudendis nummis praeter intrinsecum monetae valorem eorum pretio extrinseco etiam adjicere impensas. Accedit Principis favore consuetudo, quae in universo Christiano Orbe longe jamdiu invaluit, qua receptum est, taxare posse Principem pretium in monetis ultra ipsius materiae aestimationem titulo adamussim expensarum hujusmodi. Magnam esse consuetudinis auctoritatem quis ignorat? Ex ea praesertim licitam esse in cudendis monetis accretionem praetii expensarum dixerunt Abbas (a) Imola (b) idem Bartholus (c) Martinus Landeus (d) Petrus Velluga (e) Albertus Brunus (f) Carolus Molineus (g). Immo tantam consuetudini tribuunt efficaciam, ut admittant, posse etiam Principem, urgente necessitate, vel ad subveniendum publicis impensis monetae valorem extrinsecum augere ultra aestimationem materiae, id quod etiam Romae ab ipso Senatu ob publicam inopiam olim factum fuisse testatur Plinius (h).

Verum ad Valentiniani Sen. Constitutionem revertamur, ut illud palam sit aucto in Forensi aestimatione intrinseco auri pretio, etiam extrinsecam, & impostitiam nummorum aestimationem augendam, & pretium quoque venalium rerum esse imminuendum. Id profecto ex illo habetur. Quoniam cum tempore, quo libra constabat solidis 84., modii duodecim frumenti solido venderentur, ut notum est ex Juliano Imperatore, imminuta deinde libra ad solidos 72., proindeque aucta solidi aestimatione, non amplius decem, *sed duodecim* modii solido venditi sunt, ut ait Suidas (i) his verbis = „ istud vero lege sanxit Valentinianus, ut
„ Modii duodecim Frumenti solido venderentur &c, unde Nautae
„ cuidam, quod hoc non fecisset, dextera manus amputata est „.

Et recte quidem; nam pecunia mensura est Mercium in emptionibus venditionibus, Merciumque aestimatio in pecunia fieri di-

(a) In dict. cap. Quanto de jurejurand. num. 11.
(b) Ibid. col. 4., & in Leg. Paulus ff. de Solut.
(c) In Leg. 2. §. Mutuis ff. Si cert. petat.
(d) In Tract. de Monet. col. 1.
(e) Ubi supra num. 7.
(f) De augument., & diminut. concl. ult. col. 1.
(g) De Contract. qu. 100. num. 796.
(h) Lib. 33. cap. 3.
(i) In Misopogono in fin. pag. 369. Edit. Lipsiae.

dicitur (*a*) . Quod ut de cœteris nummis verum eſt , ita ſpeciatim de auro , quod cœterorum nummorum ei ſubjectorum , & univerſi commercii eſt veluti norma . Hinc Conſtantinus (*b*) inquit = *Pro imminutione , quae in aeſtimatione Solidi forte tractatur , omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet* = . Quis profecto dixerit, ſecus fieri potuiſſe? Equidem ſive Conſtitutio iſthaec referatur ad tributa in ſpeciebus , ſcilicet praeſtanda in frumento, oleo , & ſimilibus (*c*) , ſive, ut probabilius videtur , ad ſpecies referatur in Foro venales , quarum cura , ut juſto pretio venderentur , pertinebat ad Praefectum Urbis (*d*) , ſemper opus fuit Principis providentia , ut pro imminutione numeralis auri librae , ſicque pro augmento extrinſeco ſingulorum Solidorum pretia quoque venalium ſpecierum imminuerentur in Foro . Cum uſu jam tum compertum fuerit, ut, etiam nummorum poteſtate, ac aeſtimatione extrinſeca juſtè adaucta , venditores mercium iniquo animo ferrent à conſueto pretio diſcedere , illudque pro nummorum augmento imminuere , ut etiam advertit Ludovicus Muratorius (*e*).

Quidquid vero ſtatuit *Textus in d. Leg. pro imminutione* 2. *Cod. de veter. Numiſm. poteſt.* ad imminutionem referri debet librae auri , atque ad extrinſecam , quae inde adaucta eſt , Solidi aeſtimationem factam per Principem . Quod enim reſpicit vel injuſtum aeſtimationis augmentum , quae per Belli , aut Famis neceſſitatem invecta eſt , vel per commercii abuſum, per Mercatorum , & Argentariorum avaritiam , per deteriorem monetae qualitatem , (quae alioquin cauſae ſunt , ex quibus moneta vel augeri , vel minui aliquando ſolet) , non pertinet ad hanc legem , quod diverſa in iis eſt cauſa imminutionis .

Ita rem explicat Covarruvias (*f*) = *Tertio in idem tendit Textus in leg.*2. *Cod. de vet. numiſm. poteſt. juxta Accurſii interpretationem, quae videtur probare , quod diminutis Numiſmatis quoad pondus , quidem etiam eorum aeſtimatio diminuenda ſit &c. Eſt enim ejus ſenſus ſecundum Bart. , quod minuta aeſtimatione Solidi , minuitur aeſtimatio rerum , quae vendantur ad Solidum , ſicut itidem contingit , ubi aeſtimatio monetae augetur , & creſcit ; nam eadem ratione*

C

(*a*) Leg 42. ff. de Fidejuſſor.
(*b*) Leg.2. Cod. de vet Numiſm.poteſt.
(*c*) Leg.2. Cod.Theodoſ.de caven.Frum. Urb. Romae .
(*d*) Leg.1. Cod. de Offic. Praefect.Urb.
(*e*) Della pubblica felicità cap. 24. della moneta .
(*f*) De vet. Numiſm. collat. cap.7. ſub num. 2.

tione crescunt pretia rerum omnium , quae eadem moneta emi solent &c. quod verum est , & procedit , ubi omnes monetae minoris pari proportione augentur , vel minuuntur ; tunc enim pretium augetur , vel minuitur omnium rerum uniformiter diminuta , vel aucta aestimatione omnium monetarum , atque ideo pretium rerum , cum sit uniformiter variatum , aequipollet veteri pretio =.

Sed ut descendamus *ad proportionem* , quemadmodum ad monetarum copiam quam maxime conducit intrinseca cum extrinseca earum valoris exaequatio , comprehensis expensis , quas necessarias diximus in illis cudendis , ita summopere servanda est proportio , quae aureos nummos inter , & argenteos , aeneosque intercedere debet . Porro una proportio isthaec repellit commercii incommoda , & monetarum penuriam . Hanc omnino inducit redundantia valoris intrinseci ultra aestimationem extrinsecam . Tanta enim hominibus est lucri aviditas , ut , etiam resistente lege , monetas habeant loco mercium , alio exportent , conflent , convertantque in usum operarum fabrilium , ut supra visum est . Contra, remoto lucro quantitatis redundantis , cusaque moneta , quae non adamussim respondeat pretio materiae intrinseco , nisi comprehensis expensis , quae necessariae sunt in cudendis nummis , & ipsa monetarum penuria removeatur oportet . Nemo enim aut illas venderet pluris, quam ipsa materia aestimatur , aut funderet ad lucrum , aut adulteraret , ut advertit Almicius (a) hisce verbis = *Non solamente conviene impiegare del buon Metallo a formare le monete , per evitare le frodi , ma ancora farla lavorare in maniera , che congiunta la fattura al valore intrinseco , vaglia più di quello valerebbero impiegate in uso comune . Bernardo fa un tale giudizioso riflesso nelle Novelle della Repubblica letteraria del mese di Marzo* 1704. =.

Haec , si valor extrinsecus excedat intrinsecum . Quid vicissim, si intrinsecus extrinsecum valorem excederet? Actum esset de Commercio , quia non amplius verificaretur finis , propter quem materia , & moneta adinventa est , ut ejus *publica , & perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret* , atque materia ipsa *forma publica percussa usum , dominiumque non tam ex substantia , quam ex quantitate praeberet* (b) . Neque Exteri no-

(a) Nelle Note al Puffendorf del Dritto della natura , e delle Genti not. 1. pag. 23. tom. 3.

(b) dict. leg. 1. ff. de contrahen. empt.

nobiscum negotiarentur, nisi in permutatione mercium cum mercibus, si nostris indigerent (a), vel etiam in ipsa pecunia, nostro tamen cum damno, ut Almicius (b) ait = *Altrimenti la moneta non potrebbe servire all'uso, cui è destinata, almeno rispetto gli Popoli di altri Stati, perchè quando non fosse la moneta composta in una tale proporzione relativamente all'intrinseco valore del Metallo, di cui è composta, secondo il corso, e prezzo, che ha presso gli altri Popoli, non servirebbe a commerciare con li medesimi Popoli, se non con alterazione, o discapito eccedente* =.

Propterea Metallorum proportio non solum in genere servanda est, verum habita etiam relatione ad eorundem aestimationem, quae servatur apud alias Gentes, quibuscum commercium exercetur. Ita Heinnecius (c) inquit = *Quamvis pretium nummi definire sit Summi Imperantis, ut infra demonstrabimus, tamen ut in pretio vulgari ratio habenda est aliorum, à quibus quid acquirere cupimus, ita facile patet pecuniae tale adsignandum pretium, quod alias Gentes, quibuscum nobis Commercia est, non adspernaturas, probabile est, adeoque sequendam esse rationem unius Metalli ad aliud, quam pleraeque Gentes vicinae cultiores probare solent, nisi vel alios deterrere, quominus nobis commercium habere audeant, vel ipsi insigne detrimentum pati velimus* =.

Nonnisi haec ad arcenda incommoda, & damnum etiam Publici Ærarii in exactione Tributorum, quae reciperet imminuta, si valor monetarum intrinsecus non responderet materiae, ex qua cusae sunt, voluerunt Imperatores, ut in cudendis nummis aequa semper haberetur proportio aureorum ad argenteos, aeneosque. Primus omnium, qui proportionem aeris ad aurum per Occidentem imperaverit, fuit Honorius. Tributa olim in ipsis speciebus plerumque pendebantur (d), nisi publica necessitas secus postularet, vel Principis accederet adnotatio, ut alia species pro alia traderetur, habita proportione intrinsecae aestimationis aeris, vel argenti ad aurum (e). Deinde, postulantibus Provincialibus, ut in collatione Tributorum proportio isthaec firma esset,

(a) Polyb. lib.6. cap.47. in fin.
(b) Nel luogo cit. not.2. pag.22.
(c) De jur. natur. lib.1. cap.13. §.336.
(d) Leg.1. Cod. Theodos. Tribut. in ipsis specieb. & leg.2. de Fabricen.
(e) Leg. ult. Cod. Theodos. de Collat. donat. leg. 3. eodem Cod. de collat. aeris, & leg. unic. utroq. Cod. de argent. pret.

ſet, ac perpetua, Honorius pretium aeris, quod tradere debuiſſent, aeſtimavit aureum unum pro vigintiquinque libris ejusdem aeris (*a*), reſcribens = *Aeris pretia, quae à Provincialibus poſtulantur, ita exigi volumus, ut pro vigintiquinque libris aeris unus auri ſolidus à poſſeſſore reddatur* =.

Unde ſi ea conſtituta fuit proportio aeris ad aurum, ut pro vigintiquinque libris materiae aeris praeſtaretur tunc unus Solidus; palam eſt, ad peraequandam auri libram Solidorum 72., opus fuiſſe aeris libris 1800., quot conficiunt librae vigintiquinque ductae in 72. Ad hanc ipſam proportionem reſpexit quoque Theodoſius jun., quum, adempta optione Solutionis Tributorum (*b*), ſancivit = *Ne cui deinceps in nummo, vel in ſpecie, niſi ita publica neceſſitas poſtulavit, propria liceat Tributa perſolvere, ſed ut magis aut ipſam ſpeciem, ſi hoc uſus exegerit, aut aurum, quod aeſtimatio certa conſtituit, pro centenario aeris hujuſmodi poſſeſſor exſolvat* =.

Proportio haec tamen non fuit semper eadem. Diversa quidem placuit Juſtiniano aeſtimatio, cum illam ex libris 25. reduxit ad libras viginti aeris pro quolibet Solido (*c*) conſtituens = *Aeris pretia, quae à Provincialibus poſtulantur, ita exigi volumus, ut pro viginti libris aeris unus auri ſolidus à Poſſeſſore reddatur* =. Perperam vero Savatus (*d*), aliique Interpretes putant, lectionem Codicis Juſtinianei viginti libris aeris eſſe emendandam ex Codice Theodoſiano, ut conſequens ſit, etiam tempore Juſtiniani unum Solidum aequaſſe libras vigintiquinque aeris. Satis hic eſſet advertere, Savatum ipſum agnoviſſe, proportiones hujuſmodi non fuiſſe perpetuas, ſed pro temporum, & Locorum diverſitate varias, cum ratio proportionis inter unam, alteramque Metalli ſpeciem non aliunde peti debet, quam à forenſi pretio, quod pro tempore obtinet. Quamobrem ſi providiſſima ratione Honorius pro ſui temporis circumſtantiis eam eſſe voluit proportionem ad aureos Solidos, ut quiſque pro vigintiquinque libris aeris penderet unum Solidum, ſapienter non minus Juſtinianus, intrinſeco, ac forenſi aeris pretio aliquantulum adaucto, voluit deinde, ut pro uno auri Solido non amplius vigintiquinque, ſed penderentur viginti dumtaxat librae aeris.

Poſt aeris proportionem ad aurum proportio etiam inducta

(*a*) Leg. 1. Cod. Theodoſ. de collat. aeris.
(*b*) ibid. leg. 3.
(*c*) Leg. unic. Cod. de collat. aeris.
(*d*) De re nummar. p. 3. cap. 13.

cta est inter aurea, & argentea numismata. Vix enim ac proportionem Honorius statuit aeris ad aurum, Imperator Arcadius anno sequiore in Tributorum collatione facultatem indulsit solvendi aurum pro argento (*a*), atque proportionem inter utrumque constituit quinque aureorum Solidorum pro qualibet libra argenti his verbis = *Jubemus, ut pro argenti summa, quam quis Thesauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem*; *ita ut pro singulis libris argenti quintos Solidos inferat* =.

Quo factum est, ut in Tributis cum non semper quis, adveniente Susceptore, haberet argenteos, vel aureos, vel aeneos nummos, aliud deinde pro alio solvendi cuique jus esset, quod secus non licuisset. Hac vero indulta facultate, argenteorum nummorum proportio ad aureos etiam constituenda fuit pro forensi, atque intrinseco utriusque Metalli pretio tunc temporis vigente. Sic ab Arcadio proponitur, ut pro libra argenti, seu denariis libram conficientibus Solidi quinque Ærario inferantur. Inde sequitur, ea tempestate argenti libras quatuordecim cum duabus librae quintis uni auri librae adamussim respondisse, adeoque auri pretium extrinsecum majus quam praecedentibus intermediis temporibus fuisse. Nam discimus ex Plinio (*b*), cum primus nummus aureus Romae cusus est, eam fuisse proportionem auri ad argentum, quae est unius ad quindecim, quamvis Savatus (*c*) ostendere conatur, jam Plinii aevo proportionem argenti ad aurum fuisse duodecimariam, uti & apud Graecos fuisse ex Platonis Hipparcho Viri docti non pauci probarunt.

Herodotus etiam in Thalia ait, sua aetate aurum cum argento collatum fuisse proportione unius ad tredecim. Paulo inferiorem proportionem indicat Pollux (*d*) dicens = *Aurum vero argento decuplo praestantius erat* =. Sic etiam P lybius (*e*) ait = *Pro argenteis decem minis unam auri penderent* =, & Livius (*f*) inquit = *dum pro argenteis decem aureus unus valeret* =. Argenti itidem libra modo in argenteos, seu denarios sexaginta, modo plures, modo pauciores divisa fuit. Et quamvis sub Arcadii imperio proportio argenteorum nummorum esset ad aureos constituta, veluti unius ad quatuordecim, attamen crescente deinde in

(*a*) Leg. unic. Cod.Theodos. de argent. pretio, quod Thesaur. infert.
(*b*) Hist. nat. lib.33. cap.3.
(*c*) De num. antiq. lib.19. cap.1.
(*d*) Lib.9. cap.6.
(*e*) De foeder.Etulict.lib.histor.pag.833.
(*f*) De eod. foeder. lib.38. cap.2.

in dies auri pretio, Theodosius jun. (*a*) mandavit, ut = *Pro singulis libris argenti, quam Primipilares Viris spectabilibus Ducibus sportulae gratia praestant, quaterni Solidi praebeantur, si non ipsi argentum offerre sua sponte maluerint* =. Itaque cum Cohortalibus occasione praestandi sportulas, quas respondere tenebantur suis Ducibus, potestas facta est, eas praestandi non amplius ad rationem Solidorum quinque pro qualibet argenti libra, prout jusserat Arcadius, sed ad rationem Solidorum quatuor, facta est proportio auri ad argentum, veluti unius ad septendecim.

Etiam Summis Pontificibus plurimum semper cordi fuit in cudendis monetis proportio inter aurum, & argentum. Ita Julius II. cum noverit, ex facta monetarum immutatione magnum Rev. Camerae damnum obvenire in exigendis Censibus, ac Tributis, quia, imminuto intrinseco Carolenorum, & Bononenorum valore, non amplius servabatur proportio inter unum Ducatum auri de Camera, & decem Carolenos veteres, imperavit, ut cuderentur novi argentei Caroleni majoris ponderis, quos postea ab ejus nomine *Julios* vocarunt, ita quod *Caroleni decem monetae novae Ducatum* unum auri de Camera conficerent (*b*). Quod constat etiam ex Brevibus ad Pisaurenses, Camerinenses, & Anconitanos datis (*c*), ubi idem Pontifex inquit = *Fecimus cudi novam monetam usibus Populorum valde accomodatam, ut tandem Ducati aurei, QVORVM PRETIVM IN DIES AVGEBATVR, certo numero, pondereque consistant* =, & in alio Brevi Fulginatensibus directo (*d*) inquit = *Introductio novae monetae nostrae magna cum consideratione, & deliberatione, cum consilio Peritorum pro utilitate Populorum nostrorum est facta, generalissimaque est, & exceptionem non patitur* =.

Auctam deinde cum Successores Pontifices noverint inForo intrinsecam aestimationem Juliorum argenti, hoc augmentum & ipsi probarunt, damnum ut repellerent Principatus. Etenim Julios à Julio II. taxatos ad rationem quatrenorum dumtaxat trigintanovem, proportione habita ad aeneam monetam, taxarunt deinceps anno 1524. ad rationem quatrenorum quadraginta, anno tandem 1591. illorum *magis magisque aucta aestimatione*, per Bannimentum im-

(*a*) Leg.27.Cod.Theodos.de Cohortalib.

(*b*) Ex motu proprio 20.Julii 1504. l.57. diverf. Camer. pag.96.

(*c*) Brevium tom.1. pag.144.

(*d*) Brevium tom.8. pag.454.

imperarunt = *La riduzione del Giulio di argento da quaranta qua. trini a cinquanta* (*a*) = .

Proportio denique monetae aureae cum reliquis argenteis aeneiſque varia quidem fuit ubicumque terrarum à ſaeculo XII pro viciſſitudinibus pretii forenſis auri, & argenti, videlicet mod unius ad decem, modo unius ad undecim, modo unius ad duc decim, & uſque ad ſexdecim (*b*). Varia etiam fuit monetarur proportio in Ditione Pontificia poſt reformationem Julii II., ſcilice unius ad decem ſub Paulo III., Julio III., S. Pio V., Gregorio XIII. Clemente VIII. (*c*). Interea adaucto auri pretio in fine ſaeculi XV. proportio fuit unius ad undecim, & modo uſque ad quatuorde cim (*d*). Sub Clemente XI., redacto pretio ſcuti auri ad Julio ſexdecim cum dimidio, fuit unius ad quindecim. Deinde cuſis ſu Benedicto XIII. novis aureis vulgo *Zecchini*, fuit unius ad ſexdecim & 12 centeſimas, licet paulo poſt argenteis nummis ab eoder Pontifice imminutis quantum ad intrinſecum eorum valorem, ir valuit deinde proportio unius ad quatuordecim, & 32 centeſima quae reputatur juſta.

Valent haec ad ſervandam aequalitatem monetarum, ſe ad illarum abundantiam, atque Commercii ampliationem plur mum confert internus, & expeditus curſus quorumcumque proborum nummorum, qui ab exteris Principibus cudur tur. Nihil eſt, quamobrem nummi aliorum Principum no ubique admittendi ſint. Quidquid Mercatores objicere aſſolent nummorum hujuſmodi ne liber admittatur curſus quavis in C vitate, & Ditione, nullo quidem jure firmari poteſt. Non lege hic quaerimus Commercii Litterarum Cambialium, ſed modur quaerimus, ex quo ubique pecunia redundare valeat. Redundab quidem, ſi praeter monetas propriae cujuſque Regionis Suprema Principis auctoritate liberum ubicumque terrarum curſum habe bunt exterae monetae.

Non ipſi Mercatores inficiantur, multum utilitatis obvenir ex curſu ejuſdem monetae; unum dicunt neceſſarium, ejus ſcili cet valorem metiri qualibet Hebdomada, & aequari currenti pre ti

(*a*) Lib. 66. de' Bandi pag 23., & in lib. diviſ. Camer. tom. 76. pag. 112.

(*b*) Comit. Carl. della moneta d'Italia differt. 6. tom. 2. differt. 7. tom. 3. Neri oſſerv. ſul prezzo delle monete, Albert. Bruni de augument., & diminut monet. cap. 1., & ſeq.

(*c*) Lib. 42. diviſ. camer. pag. 42. ad 164

(*d*) Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 3.

tio Cambiorum. Quid hoc tamen ineptius? Aliud est Cambii pretium, aliud pretium monetarum. Primum varium est in singulis hebdomadis pro varietate, atque majori, vel minori quantitate sive debiti, sive crediti unius erga alteram Plateam; posterius semper est idem, quia respicit intrinsecum materiae valorem. Sive itaque unius Plateae creditum sit magnum, sive grave alterius debitum, monetae intrinsecus valor erit semper idem quantum ad illos, qui monetam habent ex libero illius cursu, quamvis secus sit quantum ad eos, qui illam habent ex commercio Litterarum Cambialium. Isti enim non idcirco monetam recipiunt imminutam, quod imminuitur illius valor intrinsecus, sed quia monetam habent, cujus valorem extrinsecum imminuit commercium passivum illius Plateae erga alteram, cujus est moneta.

Quid refert, monetam hanc si quis extraxerit, asportaverit aliquando ad propriam Regionem, cum ex gravitate Cambii noverit, id sibi magis expedire? Eandem ob caussam illuc illam denuo alii deferent. Sunt Operarii finitimorum locorum; sunt viatores, & hujus generis alii, qui monetam deferunt, impendunt pro eorum indigentiis. Haec autem, si liberum apud omnes adinvenerit cursum, erit in omnium commercio, ex quo Populi commodum, & monetarum copia. Novit id Sacratissimus Princeps Pius VI., qui natus ad communem felicitatem provido nuper consilio in Urbis, & universae Ditionis suae utilitatem Hispanicos nummos argenteos, quos vocant = *Pezzi duri* = admisit, eisque perpetuo tributo valore, imperavit, illos ut omnes reciperent, ac vicissim darent pro uno scuto (*a*). Quis Romae ex hac una providentia ad unam unius Regni monetae speciem coercita non expertus jam est monetae copiam? Quid si ad alias aliarum praesertim finitimarum Ditionum monetas consultissimum in posterum protrahatur Decretum? Quid si hujusmodi cursus obtineret quavis in Ditione? Tanta quidem Civibus esset monetarum copia, quanta satis ad eorum necessitates, & commoda vitae.

Valor itaque inspiciendus est cujusque monetae, ut liber ejus cursus admittatur apud omnes. Pretium itidem cuique Publica auctoritate constitui debet, ne fraudes obveniant. Hoc tamen non ita praefiniri debet, ut varium sit, & limitatum ad intrinsecum valorem materiae, multo minus ut ne attingat quidem valorem intrinsecum, sed ita constitui decet, ut paululum protrahatur

(*a*) Ex Edicto Emi D. Cardinalis Camerarii die 13. Aprilis 1785.

tur ultra Metalli valorem. Tali pacto alliciuntur Exteri ad introductionem monetarum, quemadmodum arcentur taxae vilitate. Sunt Ditiones, in quibus permittitur cursus monetarum exterarum; illius tamen beneficio idcirco privantur Cives, quod in Tariffa adeo praedictae monetae aestimatae sunt, ut non introduci sine damno possint. Tariffa hoc in casu reformari debet, habita ratione tum valoris Metalli, tum expensarum, si non omnium, saltem partis; habebitur tunc copia monetarum (a).

Exemplo sit factum consultissimum immortalis PII VI. Pontificis Maximi, qui pretium praedictae monetae Hispanae constituit. Quid enim Cambii regulae cum iis, qui in aliam Ditionem introducunt monetam? Introducunt illam, ut ibi impendant? Ut merces emant? Moneta isthaec non ex Cambio, sive credito, vel debito illius Regionis, à qua venit, aestimanda est, sed ex suo intrinseco valore cum additione pro rata impensarum, quae factae sunt in cudendis nummis. Quidni? Esto etiam sit grave Civitatis, à qua venit pecunia, debitum erga alteram, in quam introducitur. Debitum tamen hujusmodi, quod oritur ex majori quantitate mercium, quas illa Civitas acquisivit ab altera, & ex minori quantitate aliarum, quibus haec indiguit, non afficit tertium, qui parata pecunia venit ad Civitatem creditricem vel solatii causa, vel ad propria negotia contrectanda, ibique hanc impendit numeratam pecuniam.

Reputatur is extra generale commercium, & uti tertius, qui non venit ad augendum, seu dimittendum debitum suae Civitatis, sed ad permutandam pecuniam suam cum victualibus, vestibus, mercibus, aliisque sibi necessariis, quoad ea in Civitate moram duxerit, quum nec cum ipsa Civitate, nec agit cum Campsoribus, sed cum aliis tertiis, qui cum merces suas vel permutant, vel vendunt praesenti pecunia, non respiciunt ad debitum, sive creditum illius Civitatis, cuius est pecunia, sed unum inspiciunt, pecunia scilicet isthaec quanti valet. Praeterea habita etiam ratione debiti Platearum, semper, qui illud dimittit pecunia numerata, vel ipsa moneta, est in lucro ex majori aestimatione, quae tribuitur monetae. Est in ore omnium Campsorum, passivum Urbis commercium cum aliis Plateis excedere commercium activum. Nihilomi-

D nus

(a) Il Missionario Pirot in una sua lettera del 1774. scrive di aver trovato nella Cina moneta di argento di Roma, e particolarmente moltissimi Testoni di Urbano VIII., che colà avevano libero corso regolato con Tariffa.

nus illud est exploratissimum, monetamRomanam illis in Plateis aestimari supra aestimationem, quam habet in ipsa Urbe. Mittimus monetam argenteam: ad auream quod pertinet, certum est inter Campsores, nummum aureum Romanum, cujus valor est in Urbe scutorum duorum, & obulorum quinque, longe majorem esse in aliis Italiae Civitatibus (a).

Major igitur aestimatio hujusmodi uni tribuendum est beneficio numeratae pecuniae. Ergo cum utile, tum necessarium erit fovere liberum cursum cujuscumque exterae monetae, ex quo Civibus non damnum, sed commodum, utilitas, & pecuniae redundantia obvenire potest. Despicienda sunt caetera, quae Mercatores objicere solent, quia pertinent ad commercium activum, & passivum, atque ad debitum Platearum, quod uni tribuendum est nimiae mercium exterarum introductioni, sive luxui, ut rectius dicunt Ludovicus Muratorius (b), & Antonius Genuensis (c). Haec nihil commune habent cum pecunia numerata. Incommoda, quae promanant ex praedicto commercio, sentiant, qui ipsi inserviunt luxui, nisi hanc pestem arcere placuerit Principibus, imperata observantia eorum, quae in Jure constituta sunt sub *tit. Cod. Theodos. de habit. quo uti oportet intra Urbem, & sub tit. Cod.* tam *Theodos.*, quam *Justinian. de vestibus Oloveris, & auratis*. Non tamen prohiberi debet cursus proborum nummorum cujuscumque Regionis, multo minus pretium eis adeo tenue tribuendum est, & varium, ut inutilis evadat eorum cursus, si permittatur; sed ita permitti debet, ut ea ipsi per publicam, & perpetuam Tariffam imponatur aestimatio, quae respondeat non Metalli solum valori, sed ut supra probavimus, parti etiam expensarum, quae necessariae fuerunt in illis cudendis, ne quis ab illorum introductione arceatur.

Cursus monetarum magis, ut foveretur, usus olim invaluit (& nunc etiam variis in Civitatibus servatur) Mensariorum, & Collybistarum, quorum opera, & industria tum exteras, tum proprias monetas permutarent Cives ad eorum opportunitatem, & commodum. Saepe quidem accidit, quem habere monetas aureas

(a) Non si controverte fra Banchieri, che il Zecchino Romano corra in Genova per lire 13. 14. 6. che equivalgono a sc. 2. 19., in Milano lire 14.3. che corrispondono a sc. 2. 16., in Firenze per lire 13. 2., o siano sc. 2. 18., in Venezia sc. 2. 18., in Napoli Ducati 2. 57., che di moneta Romana sono sc. 2.15., sebbene in qualche settimana vi sia qualche piccolo divario a cagione de' Cambj.

(b) Della pubblica felicità cap. 24.

(c) Lezioni di commercio part. I. c. 10.

aureas, indigere argenteis; habere aeneas, indigere aureis, vel argenteis; habere chartas monetam repraesentantes, de quibus supra dictum est, indigere numerata pecunia aurea, vel argentea. Quid tum utilius, quam paratos habere Collybistas, ad quos recurrant Cives, & recipiant eam pecuniarum speciem, quam desiderant, & indigent, eis persoluto collybo, vulgo *Aggio*, quem Princeps taxaverit? Profecto res esset commodi plena, & non Civibus damnosa. Pecuniam permutarent, qui non illam aliunde sine collybo habere possent; rependerent collybum, qui urgente necessitate pecuniam quaerunt.

Sic Romae ad Populi commoditatem fuerunt, qui pro pecuniarum permutatione publicas retinebant Mensas, ac Tabernas in Foro prope Castoris Ædem, uti ex Plauto in Curculione, in Persa, in Asinaria, & Terentio in Formione; unde modo *Mensarii*, & *Argentarii* appellati sunt, ut ait Svidas = *qui nummos viliores, & minutiores argento permutant, Mensarius, Argentarius* = modo *Nummularii*, ut ait Balsamon (*a*) = *Nummularios hoc est Mensarios, seu Argentarios ex sacris ambitibus abegit, & aes eorum, hoc est nummos, effudit* =; modo *Collybistae*, & *Trapezitae*, & merces eis debita *Collybus* (*b*); modo tandem, quod ad publicam commoditatem colligebant monetas, dicti sunt *Collectarii*, uti ex Eusebio (*c*). Hinc Symmachus (*d*) ait = *Vendendis Solidis, quos plerumque publicus usus exposcit, Collectariorum corpus obnoxium est* =.

Collybus itidem licitus semper fuit. Nemo enim unquam dixit, Mensarios hujusmodi parare aliis commodum cum suo incommodo, & damno debere. Nemo non debitam esse mercedem ei, qui proprio labore, & industria ad aliorum dumtaxat commodum parat monetas aureas, & argenteas, illas ut permutet modo cum chartis, modo cum aliis monetis. Idcirco Romae Publica auctoritate constitutum erat *Corpus Collectariorum*, qui monetas Civibus venderent, uti ex recitatis Symmachi verbis = *Vendendis Solidis* =, quod idem est, ac permutare pecuniam repenso collybo. Et Schardius (*e*) ait = *Unde Lagium alii dicunt, deductionem videlicet quandam, quam sibi Trapezitae retinent vel ob mercedem suam,* *vel*

(*a*) In c. 76. Synod. Trallens. pag. 246. edit. Bevereg.
(*b*) Salm. de Trapezit. fœnor. pag. 553. Buddaeus in leg. ultim. ff. de pignor. act. Covar. de veter. collat. numism. cap. 7. sub num. 4.
(*c*) Histor. Eccles. lib. 5. cap. ultim.
(*d*) Epistol. lib. 10. Epist. 49. edit. Lugdun. Batav. 1653.
(*e*) In lexic. jurid. in verb. Cambio.

vel quia sua tantum intersit, pecuniam, quam permutationis vice exhibent, potius retinere ob monetae varietatem =. Duo sunt necessaria, unum nempe quod Collybistae non sint viliores personae, & alterum quod collybus sit moderatus, atque à Principe praefinitus, habita temporum, & monetarum ratione, ne quid ultra postulent Nummularii in Civium perniciem.

Hujus rei testis est Symmachus Urbis Praefectus. Collybum Nummulariis taxaverat Gratianus Imperator, habita ratione Solidorum, secundum reformationem Valentiniani Senioris. Aucto deinde auri pretio, defecit proportio praefiniti collybi. Ad Symmachum itaque iverunt Nummularii, novum ut praefiniret graviorem collybum, quem recusabat Populus ad rationem tunc temporis aucti valoris monetarum. Tum rem Symmachus detulit Theodosio Imperatori definiendam (*a*) his verbis = *Huic hominum generi taxationis exiguae vilitate nutanti Divus Frater numinis vestri* (Gratianus) *tantum pro singulis Solidis statuit conferendum, quantum aequitas illius temporis postulabat &c., sed paulatim auri enormitate crescente, vis remedii Divalis infracta est. Et cum in Foro venalium rerum majore summa Solidus censeatur, Nummulariis pretia minora penduntur. Petunt igitur de aeternitate vestra pro ratione praesentis justitiae*, (id est pro praesenti augmento Solidorum) *diffinitionis augmenta* (scilicet augeri taxationem collybi), *qui jam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt* =.

Ignotum est temporis antiquitate, quid Theodosius rescripserit. Rescripsisse tamen videtur, collybus ut augeretur. Id postulabat publica utilitas = *Vendendis Solidis, quos plerumque publicus usus exposcit* =. Id aequitas suadebat = *paulatim auri enormitate crescente, vis remedii Divalis infracta est* =. Id necessitas exigebat = *qui jam tanto oneri sustinendo pares esse non possunt* =. Ita Symmachus ipse rogaverat = *Si petitionis genus probabile judicatis, quaeso, ut huic quoque parti praecepto mansuetudinis vestro salubre remedium deferatur* =. Idque revera rescriptum fuisse dicendum est vel ex eo, quod anno deinde 440. in Edicto ad Populum Romanum ipse Theodosius cum Valentiniano (*b*) inter alia haec praefinivit = *Quo praecepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne unquam intra septem millia nummorum Solidus distrahatur, emptus à Collectario septem millibus ducentis; aequabilitas enim pretii, & commodum venditoris, & omnium rerum venalium custodiet* =.

Te-

(*a*) Loco supra citato Epist. 49.

(*b*) Novell. Theodos. lib. 1. tit. 25.

Testem etiam habemus eruditissimum Gothofredum (*a*) = *Et*
explicem de Nummulariis istis Collybistis, eorum professio erat, numm
nummos vendere, cum de Collybistis agitur, est pro nummis, quos qu
dat alios permutanti, lucelli aliquid accipere, quod dicitur collybum
accipere. Nam collybus est, quod pro permutatione pecuniae datur, v
ut D. Hieronymus ait, agens de Collybistis Templo ejectis = *munus qu*
pro Cambio datur, quod Graeci Collybum dicebant, hoc Latini Asprat
ram vocabant, maxime si asperis, id est recens percussis nummis veter
commutentur =. Et quantum ad praefinitionem hujusce mercedis
prosequitur = *Hi Collectarii postea hac tempestate dicti sunt, quorum*
certum Romae corpus erat vendendis Solidis obnoxium, & quibus pr
tium publicè statuebatur, taxabatur, definiebatur, ne super postularen
qua de re est insignis Symmachi Epistola =.

Fuerunt, qui putārunt, mercedem hanc illicitam esse, ob
jicientes, Redemptorem nostrum illam damnasse, cum evers
Mensis, & effusa pecunia, Nummularios ejecit è Templo, & mo
netarum aestimationem, quae publica est, & lege constituta
everti non posse majori aestimatione. Neutrum tamen plausu
apud alios adinvenire promeritum est. Non primum, quia no
eorum officium, nec venditionis, & permutationis mercede
damnavit Christus Iesus, sed modum damnavit dumtaxat, &
Templi abusum (*b*) inquiens = *Nolite facere Domum Patris mei Do*
mum negotiationis =. Ergo etiam Hierosolymis aderant, permitte
bantur Nummularii, nec à Redemptore nostro fuerunt à Templ
expulsi, nisi quod Templum Domus est Orationis, non ver
negotiationis.

Non alterum, quia quamvis pecunia pretium habeat à lege
constitutum, cum tamen in pretio est tanquam res, & tanqua
numisma à Principe signatum, licitè permutari potest, & vend
majori pretio, quam quod à Principe numismati constitutum sit
habita ratione Metalli, dummodo augmentum non sit grave, ce
contra Jo: Medinam (*c*) tenent Dominicus Soto (*d*), Sylvester (*e*), Cajeta
nus (*f*). Etsi namque praecipuus pecuniae usus sit ad emendum, &
vendendum, sitque ipsa pecunia rei, quae venit in contractum, pre
D 3 tium

(*a*) In Cod. Theodos. leg. unic. tit. si quis Solidi circulum.
(*b*) In S. Ioan. 2. 14.
(*d*) De just., & jur. lib. 7. quaest. 2.
(*e*) In verbo Usura 4. qu. 3.
(*f*) De Cambiis cap. 6.

tium (*a*), quod fancte fervandum eft; habet tamen pecunia etiam ufum; quem dicimus improprium, permutationis cum diverfa pecunia. Ad effectum autem permutationis cum non habeat à lege praefinitum pretium, & aeftimationem, ut docet S. Thomas (*b*), quem fequitur Sylvefter (*c*). Cumque permutatio ifthaec fit Reipublicae non parum utilis; hinc qui proprio labore, & induftria nummos diverfae fpeciei parat, retinetque promptos ad peragendas permutationes Civibus magis benevifas, meritò ac licitè mercedem percipit ea ex permutatione, praefertim fi ad hoc munus fuerit, uti apud Romanos, Publica auctoritate conftitutus, veluti firmant Laurentius Rodulphus (*d*), Ioannes Lupi (*e*), Florentinus (*f*), Conradus (*g*), Cajetanus (*h*), Covarruvias (*i*), aliique bene multi.

Ex his colligitur, ufum hunc, qui fervatur adhuc num in aliquibus Ditionibus, ubi Collybiftae vulgo appellantur = *Baratta moneta* = *Cambia cavalli* = *Cambia moneta* =, olim apud omnes invaluiffe, & fuiffe Reipublicae utile ob commoditatem permutationis monetarum, earumque expeditum curfum. Plura tamen ex iifdem novimus neceffaria, nempe ut Nummulariorum, five Collybiftarum deputatio fiat ab ipfo Principe; hujufmodi ratione, ut, cum res fit apud honeftos, & probos Viros à Principe defignatos, cedat commodo Reipublicae: ut mercedis quantitas praefiniatur publica auctoritate non in qualibet Hebdòmada ad rationem currentis Cambii Platearum, (ut contendunt Campfores, qui admittunt utilitatem permutationis pecuniarum), fed perpetuo, & quae exemplo Gratiani, & Theodofii Imperatorum, fit duratura, donec eadem fit intrinfeca, & extrinfeca monetarum aeftimatio: ut denique Collybiftae praefinitam mercedem recipiant dumtaxat *ex monetis aureis, & argenteis*.

Pecunia tali pacto omnes florerent Ditiones. Quod fi nihilominus aliquo in loco deficeret, defectus non, ut alii putant, uni dumtaxat debito paffivo, five inaequalitati inter commercium activum, & paffivum tribuendus eft. Quae namque ex hoc ipfo non in multis Ditionibus monetarum penuria? Attamen certum eft.

(*a*) Leg. 1. ff. de contrahen.empt. lib.1. Polit. cap.6.
(*b*) De regim.Princip. lib.2.cap.14.
(*c*) In verb. Ufura 4.qu.2., & 3.
(*d*) De Ufur. cap. Confuluit in repetit.
(*e*) In cap. per veftras notat.6.§.9.n.13. de donat. inter Vir.,& Uxor.
(*f*) Par.2. tit.1.cap.7.§.47.
(*g*) De Contract. qu.99.
(*h*) De Camb. cap.5.
(*i*) De Ver. Collat. numifm. cap.7.n.4.

eſt , Principatus non paucos monetis abundare , quamvis gran
aere alieno graventur . Monetarum hinc bonitas , quae exced
proportionem legalem , & numerariam , earumque conflatio , f
ſura , atque converſio in alios uſus , extractio denique ad alias R
giones ; eſt illud venenatum Circaei poculum , ex quo incomm
da omnia , & mala proficiſcuntur . Nocet Principatus viribus d
bitum paſſivum : nocet inaequalitas commercii ; at non ex eo d
fectus omnino oriri poteſt monetarum ; damnum dumtaxat orit
Debitorum , quod non decet publicae praeferri utilitati .

Malo propterea hujuſmodi occurrendum eſt . Aut igitur ex
oritur , quod vel unius Ditionis moneta acquiſivit penes alias Diti
nes majorem valorem numerarium illo , qui eſt in curſu in ip
Dominio , ubi cuſa eſt , vel ob majorem auri , & argenti bonitate
antecedit monetas aliorum Principum ; Aut oritur ex illius fuſu
& extractione extra propriam Ditionem . Si primum , aut imm
tanda eſt moneta , ut eam habeat aeſtimationem , quae intrinſe
Metalli pretio reſpondeat , habita ratione ſumptuum ; Aut, ſerv
ta proportione inter auream , argenteam , & aeneam , augeri d
bet valor extrinſecus . Hac autem facta monetarum peraequati
ne , & reductione , ceſſat conflationis , & extractionis cauſa
ceſſat , & ipſa monetarum penuria .

Moneta autem vel ex majori apud alios aeſtimatione, vel ex p
riori materia cuſa illa aſſumit naturam mercium. Tunc non Cives ſ
lum eam ad commercium , ſed Artifices, etiam accomodant ad e
rum operas . Priores illam extrahunt, ne ob commercium paſſivu
graventur duriori Cambio . Fabri vero Argentarii , veluti prome
cales monetae negotiatores effecti , illam quaerunt malis etiam a
tibus , fundunt ad eorum operis opportunitatem . Praeter eni
manupretium , habent ex liquefactis monetis lucrum circiter ſc
torum quindecim in ſingula centum . Hinc Principis AErarii dam
num : quoniam incudendis novis ejuſdem bonitatis monetis ob n
ceſſitatem Subditorum , ſubjicitur novis incommodis partim e
gravi pretio Metallorum , partim ob impenſas proviſionum , & O
ficinae monetalis (a) . Adaucto vero Monetarum valore , vel nov
cu:

(a) Ideo ſunt ex Principibus , qui Officinam monetalem locare aſſolent . Nam rerum magiſtra experientia compertum eſt, jus cudendi Nummos perraro Principi fuiſſe damnoſum , u
temperanter fiant impenſae , nur
quam vero ubi exercetur ab Appal
tore . Sunt inter Civitates Subdit

cusis, in quibus deficit aequilibrium inter valorem legalem, & platealem, nec illas amplius extrahent promercales Negotiatores, nec Fabri Argentarii illas conflabunt, cum conflatio istis damnosa, non utilis illis erit extractio.

Optimo propterea consilio inter alios Principes, quum noverint Summi Pontifices, damnum non leve obvenire Publico AErario ex Monetarum fusura, & extractione ob earum excedentem intrinsecam aestimationem, illarum valorem extrinsecum modo auxerunt, modo imperarunt, novae ut cuderentur, quarum valor intrinsecus extrinsecum aequaret. Valorem Juliorum argenti, quem taxavit Julius II. ad rationem quatrenorum *trigintanovem*, auxerunt Successores anno primum 1524. ad quatrenos *quadraginta*, deinde anno 1591. ad *quinquaginta*, ut supra probavimus. Rursus, ut omittamus antiquiores, Clemens XI., ne scuta aurea, excedentia intrinsecum valorem, extraherentur ad alias Ditiones, anno 1719., eorum intrinsecum valorem imminuit, atque extrinseco adamussim peraequavit. Denique Clemens XII. aureum nummum vulgo *Zecchino* ex Juliis viginti auxit ad Julios viginti cum dimidio. Et recte quidem. Nam quis non videt, facta monetarum imminutione, atque reformatione, vel neminem omnino futurum, qui conflet monetas, vel paucissimos, qui has ad alias Regiones asportent? Damnum ex conflatione Artificibus obveniret; nullum Extractoribus compendium. Extractio nihilominus si fieret, ad propriam statim Regionem redibunt monetae opera eorum, qui nec illas conflare, nec sine damno in sua Platea permutare possent.

Defectus vero Monetarum si promanat ab earum extractione, fraudibus occurrendum est eorum, qui sunt auctores illarum caritatis. Hujusmodi sunt, qui vel Monetas conflant, rediguntque in massam, vel ad alias Nationes ad instar Mercium asportant. Hujus fur-

quae monetas cudunt ex Privilegio aureas, & argenteas, & quidem non sine lucro, quod secus vale dicerent privilegio, & tamen non est praesumendum ad cudendos nummos illas adhibere aurum, & argentum, quod Principis impensis jam fuit cusum, & monetatum. Officinam hanc locavit Rever. Cam. Apostolica in Comitatu Venascen. anno 1322., deinde Avenione, denique Romae ab anno 1430. ad annum usque 1738. exercuit proprio nomine cum annuo lucro modo sc. 2803. 91., modo sc. 2546.06., modo sc. 2692. 11. ÷ super monetis aureis, & argenteis, & sc. 9. in singula centum super aeneis. Utilis etiam fuit officina *praedicta* annis sequioribus, cum in Appaltum concessa est, ut ex Instrumento Appaltus 10. Februarii 1745. per Acta Castellani, nunc Nardi Secretarii Camerae.

furfuris Homines semper Reipublicae fuerunt infesti ; ac jugi propterea Principes in id intenderunt, ne tantum facinus admitteretur. Hinc Imperatores prohibuerunt sub gravissimis poenis, quis Nummos conflaret, redigeret in massam, aliò deportaret. Hinc Littorum, Portuum, atque itinerum Custodes constituerunt, ut Naves, & commeantes Negotiatores excuterent, ac scrutarentur, num pecunias vendendi causa transferrent. Hinc denique pecuniae ad itineris impendia modum praefinivere, quo majorem Negotiatoribus vehere, ac portare non liceret (*a*), quamvis permitterentur tunc temporis Collybistae.

Eamdem ob causam post Romanos Imperatores omnes Principes in sua Ditione leges etiam promulgarunt adversus promercales Monetarum Negotiatores, Fusores, Extractores (*b*). Reque vera quid nobis prodesset recta Monetarum aestimatio? quid proporti... inter unam, & alteram? quid earum copia, illas si conflarent Artifices ad opus? Si alio amandarent Negotiatores? Si Exteris pecuniam, quae in usu publico solum constituta est, venderent u... merces? Hac de re leges cum adsint, pro illarum observantia, & exequutione invigilandum est, ne ex Monetarum fusura, & extractione illarum in Principatibus succedat penuria (*c*). Quamvis hanc una Monetarum imminutio arcere possit.

Multa quidem alia sunt, quae pertinent ad materiam Monetarum; Sed haec ideo omittimus, quia non accommodari pos... sunt Dispositioni selectae *Legis pro imminutione* 2.*Cod. de Veteris Numismatis potestate*; Nihilominus eorum etiam aliqua ad examen revocabimus, prout tamen ferunt Theses, quas publicae disputationi exponimus, ac defendendas aggredimur.

(*a*) Leg. 1. Cod. Theodos. si quis pecun. conflav., & leg. 2. Cod. Justinian. de commerc., & mercat.

(*b*) Etiam Romani Pontifices prohibuerunt semper conflationem, extractionemve monetarum. Constat primum ex Capitulis cum Appaltatore Officinae monetalis Avenionensis, deinde ex Edictis, quae Romae publica saepissime facta sunt contra hujus generis Homines ab anno 1636. ad haec usque tempora. Haec inter principem locum obtinet Edictum cl. m. Card. Annibalis Albani S. R. E. Camerarii sub Datum 5. Decembris 1746.

(*c*) Uni observantiae Edictorum tribuitur pecuniae copia, quam Urbis Habitatores experti sunt in Pontificatu Benedicti XIII., quamvis à die 4. Augusti 1724. ad diem 21. Decembris 1729. non alia moneta aurea, & argentea ex Officina monetaria extracta fuerit, nisi tenuis quantitas scutorum 126088. 93., uti constat ex Libro extractionum per Acta nunc Fatigati Secretarii Camerae. Sunt etiam, illam qui tribuunt libero cursui omnium monetarum exterarum.

THESES

Ex leg. pro imminutione 2. Cod. de Veteris Numismatis potestate.

I. Reipublicae interest, eam Nummis aestimationem imponi, quae intrinseco materiae pretio respondeat.

II. In ea tamen praeter materiae pretium sumptuum quoque est habenda ratio in cudendis Nummis factorum.

III. Adaucta vero in Foro intrinseca Nummorum aestimatione, & extrinseca publicè est augenda, & pretium venalium rerum est minuendum.

IV. Item in cudendis Nummis, publicèque aestimandis semper aureorum ad argenteos, aeneosque Nummos est habenda proportio.

V. Eaque proportio sic erat in Jure statuta, ut pro singulis libris argenti quinque aurei Solidi solverentur, & pro xx. libris aeris aureus unus redderetur.

VI. Quorumcumque proborum Nummorum internum, expeditumque cursum fovere est omninò necessarium.



VII. Nummorum conflatio, sive in massam redactio, ac in exteras Nationes ad instar Mercium asportatio est omninò impedienda.